

scriptum. Sic S. R. C. servandum esse censuit in Ecclesia PP. Congregationis Oratorii s. Philippi Neri in civitate Mexicana... die 3. Sept. 1746 in Mexicana in Indiis occidentalibus."

Mediolanen.

Inservientes ecclesiae non parochiali s. Mariae apud s. Celsum Mediolani turbati a Parochis defunctorum, qui in dicta ecclesia sepulturam elegerunt, praetendentibus ad ipsos Parochos pertinere officium facere super cadaveribus, quotiescumque defunctus obiit in aliqua ipsorum ecclesia parochiali, supplicarunt pro bono pacis et ad evitanda scandala declarari, hoc eis non licere extra proprias parochias, juxta alias resoluta. Et S. Congregatio, ad relationem Emmi D. Gregorii, inhaerendo decretis alias in similibus factis, respondit, excepto proprio Parocho, inter cujus limites ecclesia s. Mariae apud s. Celsum existit, aliis Parochis in supradicta ecclesia non licere officium facere aut alia munera funeralia exercere super cadaveribus, quae ibi tumulari debent, et in ita proposito casu servari mandavit.

Die 29. Novembris 1632.

(Anal. J. P. 1863 p. 246.)

6) A Regularibus.

Vd.: *Processio funebr.*, (crux etc., exitus); *Confrater.*; *Quarta funer.*; *Stola*; *Sepult. in eccles.* (*Regul.*, *Monial.*; *Canonici*); *Defunctus.*; *Elemosyna pro funer.*; *Sepultura parvul.*; *Commun. pasch.* (Ecclesia). Vd.: *Constitutio Innocent. X. in Bullar. mag. rom. tom. V. p. 414.* (ed. Luxemburg 1727) de die 22. Februarii 1645.

Non licere *Capitulo* ingredi Ecclesiam monachorum cum cruce et officia supra cadavera et alia munia peragere. N. 2708 ad 3 die 4. Aug. 1674; n. 4430 ad 3 die 18. Septbr. 1787.

Rector loci non potest facere officium super cadaveribus, quae tumu-

lantur in Ecclesia fratrum s. Georgii. N. 853 die 23. Mart. 1630.

Regulares posse in eorum Ecclesiis sepelire absque Parochi interventu viros hujusmodi collegialiter viventes aut cum claustralibus habitantes nec non mulieres, virginalem vel caelibem aut castam vidualem expresso voto et sub dicto habitu vitam ducentes. Quodsi Tertiarii vel Tertiariae his carent qualitatibus, non esse sepeliendos in Ecclesia regularium, nisi ipsi, dum vixerint, in ea elegerint sepulturam. S. R. C. n. 407 ad 4 die 30. Junii 1609. S. C. E. 11. Decbr. 1615.

Ad dub.: An in ecclesiis fratrum sepelienda sunt cadavera eorum, qui ejusdem Ord. habitu induti ex hac vita discesserunt? S. C. Ep. resp.: Si conditiones in bulla aurea fel. rec. Sixti P. IV. contentas in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet, quod a Quardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac praedictus Quardianus vel alius Superior eosdem praemonuerit, eorum cadavera propter habitus concessionem seu receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda; eo casu cum habitu religionis decedentes in ecclesiis pariter ejusdem religionis ecclesiasticae sepulturae esse tradendos.

Die 11. Decbr. 1615.

Si contingat aliquas ex Tertiariis sine sepulturae electione decedere, eae sic decedentes ita demum in ecclesiis Ord., cujus habitum assumerunt, sepeliri debeant, si in ipsis earum communis sepultura reperitur; sin minus, in eccles. par. sepeliendas esse. S. C. Ep. 20. Decbr. 1616.

Vocato Parocho et ipso renuente intervenire vel alterum mittere regu-

laribus licere absque Parocho deferre cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda. Quo vero ad emolumenta per Parochum praetensa nihil dandum ultra solitum. N. 2733 ad 6 die 22. Junii 1675; n. 2846 ad 1 die 20. Novbr. 1677.

Parochus se ingerere non posse in faciendo super cadaveribus officio in Ecclesiis regularium sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare. N. 1337 die 6. Julii 1641; n. 1574 die 15. Decbr. 1646; idem decret. n. 1576 die 12. Jan. 1647 cum append.: „Et Clerum teneri usque ad portam Ecclesiae defunctos comitari.“ N. 2909 die 27. Jan. 1686; n. 3722 ad 10 die 9. Maii 1705; n. 3881 ad 3 die 14. Decbr. 1715.

Non licet aditus Parocho processionaliter cum cruce, stola et superpelliceo ingrediendi Ecclesias regularium, quando cadavera in eorum Ecclesiis sepeliuntur, comitando tantummodo defuncto, nisi adsit contraria consuetudo immemorab. formiter et legitime probanda. N. 2836 ad 1 die 20. Novbr. 1677; n. 2840 die 20. Novbr. 1677; n. 3722 ad 9 die 9. Maii 1705.

Parochum teneri relinquere cadaver ad januam Ecclesiae regularium. N. 3603 ad 3 die 3. Decbr. 1701.

Officium super cadaveribus in Ecclesiis regularium sepeliendis fieri debere ab ipsis Regularibus, non autem a Parochis delunctorum. N. 2902 die 2. Septbr. 1679; n. 745 ad 2 die 28. Junii 1628.*)

Delato et exposito cadavere in Ecclesia regularium Parochus non potest super eo intonare: *Regem, cui om-*

*) Confirmat. per decr. S. C. Ep. et Regul. die 16. Decbr. 1661 et per Breve Clem. X. die 18. Jan. 1672. (Bullar. mag. tom. VI. p. 381 ed. Luxemburg 1727); et per Breve Clem. X. die 3. Aug. 1672. (Ibid. append. ad tom. VI. p. 25.)

nia etc. et alia. N. 2309 ad 3 die 24. Jan. 1665. Idem decretum n. 2375 die 26. Junii 1666 cum appendice: „non autem ad Parochum vel alios de Capitulo Cathedr. spectare intonare antiphonas etc.“

Non prohiberi Regulares habentes privilegia recipiendi corpora defunctorum in eorum sepulturis, quo minus juxta dispositionem juris communis possint in eis sepelire corpuscula parvulorum, quando in eorum Ecclesiis adest sepulchrum majorum vel concurrente consuetudine ab eorum Patribus est electa sepultura in praedictis Ecclesiis; curare autem debere eosdem Regulares, ut habeant coemeterium separatum pro sepulturis parvulorum. N. 590 die 12. Decbr. 1620.

Officium super cadaveribus in Ecclesiis regularium fieri debere per ipsos Regulares, non autem per alios Curatos etiam Cathedralium, non obstante quacunque contraria consuetudine. N. 795 die 10. Febr. 1629; n. 831 die 18. Aug. 1629.

Immemorabilem consuetudinem per Capitulum Andrien. praetensam non esse probatam et officium super cadaveribus in Ecclesia PP. minorum ad ipsos spectare, non obstante contraria immemorabili. N. 913. die 5. Julii 1631.

In his decretis includi et comprehendendi proprios Parochos seu Curatos defunctorum. N. 956 die 30. Apr. 1632; n. 1099 die 27. Novbr. 1638*); n. 1103 die 9. Decbr. 1638; n. 1289 die 26. Jan. 1641; n. 1329 die 11. Maii 1641; n. 1347 die 11. Novbr. 1641; n. 1549 die 13. Jan. 1646.

Patres Dominicanos Balneoli manutenendos esse in possessione libertatis de jure competentis in eorum

*) Confirmatum per Breve Alex. VII. die 30. Apr. 1660. (Bull. mag. rom. tom. VI. p. 123; ed. Luxemburg. 1727.)

Ecclesiis faciendi super cadaveribus asportandis omnes functiones necessarios n. 2390 die 15. Jan. 1667.

Regulares oppidi Massae non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis ad effectum associandi cadavera in eisdem sepelienda, sed sufficere, quod illi expectent ante januas.

S. R. C. die 22. Junii et 13. Julii 1675. S. C. Ep. et Reg. 17. Aug. 1708.

Canonicis Cathedr. Gravinæ non licet asportare ad eandem Ecclesiam cadavera quorumcunque Clericorum, licet elegerint sepulturam in aliis Ecclesiis etiam Regularium, atque in eadem Ecclesia funus peragere et postea consignare hujusmodi cadavera clero Ecclesiae tumultantis cum retentione tamen illius partis cerae dumtaxat, quae circa cadavera exposita fuerat. n. 3533 die 3. Octbr. 1699.

Quando religiosi s. Francisci Vienaefunctum non comitantur, tenentur exire conventualiter cum cruce elevata extra portam conventus quotiescunque defertur defunctus sepeliendus in Ecclesia Conventus, et permittere ut beneficiati ingrediantur Ecclesiam et possint assistere exequiis sed non canere. N. 2273 ad 8 die 24. Maii 1664. Quando cadaver est sepeliendum in Ecclesia regularium, si Parochus vocatus recusat accedere vel alium mittere, regulares possunt ducere cadaver ad Ecclesiam etiam sine Parocho. N. 3750 ad 4 die 18. Septbr. 1706. Capitulum et clerus Cathedr. Alexani accedentes cum canonico curato ejusdem Ecclesiae ad assoc. cadav. sepelienda in ecclesiis min. conv. et Capucinorum possint ingredi Ecclesias dictas cum cruce elevata et sine stola sed ipse et Capitulum funeri tantum assistere possunt. N. 4082 ad 1 et 2 die 21. Mart. 1739.

Ad dub.: An Parochus ingredi possit Ecclesias regularium cum stola et cruce

ibique officium et functiones peragere?

S. R. C. resp.: Negative. Die 2. Aug. 1698.

Ad dub.: An postquam patres reformati per aliquod temporis spatium expectaverint Archipresbyterum vel illius coadjutorem, possint absque eisdem asportare cadaver ad eorum Ecclesiam?

S. C. resp.: Affirmative, intimato tamen prius et expectato per horam Archipresbytero vel canonico coadjutore. Die 24. Julii 1734.

(Anal. J. P. 1858 p. 779.)

Bononien.

Ut consuleret princeps optimus Paulus III. indemnitati Patrum minorum s. Francisci de observantia, qui incolabant monasterium extra moenia Terrae Centi perpetuis Rheni fluminis exundationibus perculsum separavit anno 1538 ab Ecclesia ss. Petri et Pauli ejusdem Terrae ecclesiasticum beneficium, cui animarum cura annexa erat, eoque ad simplicis naturam reducto Ecclesiam aedesque conjunctas iisdem patribus concessit, ea data lege ut Sacerdotem eligerent, qui curam animarum exerceret. Servata fuit haec lex ad nostra haec tempora; at cum curam illam obtinisset Sacerdos Jo. Philippus Monteforti, exortis inter eum et patres pluribus controversiis, sacratissimus princeps noster eas praecidit anno 1749 constitutione sua, qua separavit curam animarum a dicta Ecclesia ss. Petri et Pauli eamque transtulit in Ecclesiam saecularem sodalitatii s. Sebastiani et Rocchi. Nova tamen inter eundem Parochum et patres exorta est controversia; contendit enim Parochus jus sibi esse ingrediendi Ecclesiam patrum cum stola et cruce elevata, si ad illam deferenda sint corpora eorum, qui condi in ea voluerunt. Ut igitur patres iis turbis oc-

currerent, quae hisce casibus evenire solent, preces obtulerunt sacro huic tribunali auditoque Vicario generali Bononiensi censuit hic secundum Parochum esse respondendum, quod generalis et vetustissima in Terra Centi sit consuetudo, ut Parochi in elatione cadaverum ingrediantur Ecclesias regularium cum stola et cruce elevata.

Proponitur nunc causa et disputant patres hanc consuetudinem, si vera esset, contra jus esse: placuisse siquidem in hac crebris doctorum disputationibus vexata quaestione negativam sententiam hanc sequi sacras Urbis Congregationes, hanc probasse Summos Pontifices, *sublata* cuicumque iudici facultate secus iudicandi cum *decreto irritanti*; cum igitur res sit de consuetudine contra jus, necesse omnino esse, ut plenissime probetur et contradictio etiam iudicio confirmatam fuisse monstretur: nihil horum probari a Parocho, et si probaretur, nihil esse, quod non monstretur eam locum habuisse in hac, de qua agitur, Ecclesia, cum Parochus eam ingressus quidem fuerit cum stola et cruce a duobus retro saeculis, at non jure servitutis, neque animo acquirendi jus contra libertatem regularium, sed quia parochialis erat et in ea exercitium curae animarum habebat electus ab ipsis Patribus: quidquid igitur de hac consuetudine sit ratione aliarum Ecclesiarum regularium, quae sunt in Terra Centi, non posse eam concludi ratione hujus Ecclesiae Patrum minorum, neque porrigi posse ad eas Ecclesias, quae suam libertatem servarunt. Cessare autem disputationem omnem, cum consuetudo haec generalis et vetustissima ex facto desit etiam ratione aliarum Ecclesiarum regularium, ut testibus probatur, qui de facto proprio deponunt: Ratione vero Ecclesiae ss. Petri et Pauli rem esse apertam ex facto ipsius Parochi Monteforti, qui

in elatione cadaveris Lucretiae Gatti perventus ad fores Ecclesiae Patrum deposuit illud abiitque. Haec Patres: a Parocho nihil habuimus. Dubium est:

An in associando cadavera sepelienda in ecclesia s. Petri minorum de observantia Terrae Centi liceat Parocho ingredi cum stola et cruce elevata; seu potius teneatur ad ejusdem Ecclesiae fores sistere ibique ultimum vale defuncto dare in casu?

S. C. resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Die 18. Septbr. 1751.

„Officium super cadaveribus in Ecclesiis regularium per ipsos Regulares, non autem per Parochos defunctorum peragi debere. Die 9. Decbr. 1638 in Albanensi.“

Non potest Parochus (nisi adsit consuetudo) occasione funerum ingredi Ecclesiam regularium cum stola et cruce. S. Congr. Rit. in Vadens. juris funerandi 2. Aug. 1698 et S. Congr. Concil. in Ebrunden. Jur. Paroch. 25. Jun. 1695 in responsione ad X. Polest tamen Parochus assistere functioni tamquam unus de populo. S. Rit. Congr. in Mantuana funerum 21. Novembris 1699, apud Monacell. form. legal. pract. tom. 1. tit. X. fom. 18. n. 13.

Parochi defunctorum in regularium Ecclesiis humandorum possunt eorum corpora usque ad easdem Ecclesias associare ac etiam in illis permanere absque tamen eo, quod in officio decantando nullatenus se intromittant, nisi contraria adsit consuetudo. S. Congr. Episcop. et Regularium in Nicoteren. 6. Jun. 1614.“

7) Ab uno eodemque Sacerdote, qui missam celebrat.

Vd.: *Absolutio* (decr. n. 5221.); t. II. p. II. pag. 57 decr. Sorana.

22) Gestus Moerentium.

Episcopus impediat cum omni diligentia ac pastorali sollicitudine ab-usum gentilitatis, quod feminae in funere suorum liberorum, parentum aut maritorum capillos vellant; poenas autem exigendas ipse non retineat sed apud depositarium deponat. S. Congr. Episcop. et Regular. 20. Apr. 1587.

Vd.: *Visit. de funerib.*

23) Graecorum inter Latinos viventium et viceversa.

Vd.: *Ritus graec.* (const. Bened. XII. *Et si pastoralis* §. 2. n. 11. 12.)

24) Gratis faciendae.

Ad dub.: An Presbyteri tumulare gratis teneantur cadavera personarum miserabilium, quaeque dicendae sint personae miserabiles?

S. C. C. resp.: Servetur Synodus Dioecesis.

Die 26. Jan. 1726. Montis Cassini ad 11.

Vd.: *Sepult. paup.*; t. III. p. II. pag. 57.

25) Haereticorum et Excommunicatorum Ecclesiam pollut.

Vd.: *Profanatio Eccles.* (Modi); *Sepult.* (qui capac. non sunt.)

26) Impuberum.

Vd.: *Sepult.* (electio p. 47.; parvulor.) *Visit. de funerib.*

27) Ingressus in Eccles.

a) Licet.

Vd.: *Sepultura* (Ingressus non licet; decr. n. 2846.) *Sepultura* (a Parocho, a Regul. faciendae); *Process. funebr.* (crux Cathedralis, Colleg., eccles. tumul.)

Parochi saeculares cadavera deducunt ad Ecclesias regularium ingredi possunt cum stola et cruce ad Ecclesias praedictas, dummodo statim disce-

dant et ad propria revertantur, absolutionem regularibus peragendam dimittentes. N. 1801 die 10. Junii 1656; n. 244 ad 6 die 9. Junii 1668.

Licere Parocho ingredi Ecclesias regul., dummodo non faciat officium. N. 3603 ad 2 die 3. Decbr. 1701.

Licet Parocho et Canonicis Cathedr. Tusculi occasione funerum ingredi Ecclesias PP. Societatis Jesu cum stola et cruce. N. 3731 die 22. Aug. 1705.

Licet Parocho Camerini in associandis cadaveribus ad Ecclesiam s. Francisci minor. de observ. ingredi dictam Ecclesiam cum cotta et stola. N. 3961 die 23. Septbr. 1734.

b) Non licet.

Vd.: *Processio funebr.* (crux Cathedr. etc.; exitus a Cathedr., Colleg. etc.)

In associatione cadaverum Plebano non licet ingredi Ecclesiam PP. minorum Caecili cum stola et cruce elevata sed potius tenetur ad fores sistere ibique ultimum vale defuncto dare. N. 4210 ad 2 die 19. Septbr. 1750.

Ad dub.: An Parochi teneantur associare cadavera tumulanda in Ecclesia regular. usque ad crucem vel potius ad januam Ecclesiae ibique dare ultimum vale?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et Regulares, quatenus ad associationem cadaveris non fuerint invitati, tenentur expectare et recipere cadavera in janua Ecclesiae eorum. N. 4316 ad 1 et 2 die 7. Maii 1763.

Parochi, postquam cadavera associantur ad januas Ecclesiae regul., tenentur ab ea recedere, nisi adsit contraria consuetudo immemorabilis legitime probanda vel saltem admitti potest dimissa stola in loco distante ab officiatu. N. 2846 ad 2 die 20. Novbr. 1677; n. 2902 die 2. Septbr. 1679.

*Innocentius Papa XIII.**Ad futuram rei memoriam.*

Emanarunt nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Ep. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita decreta tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 1. *Parmen.* Funerum. Ab immemorabili in dicta civitate viget consuetudo stabilita, etiam ex constitutionibus plurium summorum Pontificum signanter s. me. Julii II. ac Clem. VIII. et comprobata per constitutiones synodales et canonicata in contradictorio iudicio ac per varia decreta hujus S. Congregationis de annis 1671 et 1675, non solum, quod occasione funerum regularibus pateret ingressus cum stola et cruce in Ecclesias saecularium absque tamen aliquo exercitio et idem practicaretur a Parochis intra Ecclesias regularium, sed etiam, quod omnes praefati Regulares persolverent, prout semper persolverunt, quartam eisdem Parochis. Quia vero PP. s. Francisci strictioris observantiae nuper acciti ad dictam civitatem, postquam jam itidem ipsi acceptaverunt dictas laudabiles consuetudines, renuerunt admittere Parochos ad ingressum in eorum Ecclesias cum stola et cruce occasione associandi cadavera, et similiter eisdem quartam persolvere. Habito deinde desuper a Collegio Parochorum ipsius civitatis recursum ad S. Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam, eadem S. Congregatio visa relatione Episcopi Parmen., partibus auditis et informantibus, ad relationem SS. D. N. PP. Innocentii XIII. tunc causae ponentis, censuit et decrevit, servandam esse consuetudinem, favore Parochorum in omnibus, sub 21. Martii 1720. Non acquiescentibus partibus adversariis hujusmodi resolutioni reposita causa ab Eminen-

Parochus ingredi non potest Ecclesias regul. cum stola et cruce ibique officium et functiones peragere. N. 3485 ad 2 die 2. Aug. 1698.

Ad dub.: An Parochi Petritoli, postquam cadavera associaverunt ad januam Ecclesiae regul., teneantur ab ea recedere et stolam dimittere nec se ingerere officiatu vel potius liceat eisdem assistere in eadem Ecclesia in decantatione Nocturni et Laudis super cadavere? S. C. resp.: Ad Archiepiscopum in omnibus pro concordia. N. 3750 ad 1 die 18. Septbr. 1706.

Parocho Cathedralis Camerin. occasione associationis defunctorum ad Ecclesiam regul. deposito feretro ante limina Ecclesia non licet preces consuetas recitare; et amplius proponi vetuit. S. R. C. n. 3793 die 1. Septbr. 1708.

Non licet Parochis in associatione cadaverum ingredi Ecclesiam PP. Barnabitarum Spoleti cum superpelliceo, stola et cruce ibique exequi assistere, reservato jure probandi consuetudinem. N. 3829 ad 1 die 19. Julii 1710.

Parocho Cathedralis Camerini in associandis cadaveribus ad Ecclesiam s. Francisci minor. de Observ. non licet ante discessum a dicta Ecclesia recitare antiphonam: *Exultab.*, et aliam: *Sit nomen Domini* etc. N. 3691 die 23. Septbr. 1724.

Quando Ecclesia tumulans est a parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam non Parochus sed alius sacerdos ejusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus cotta et stola vel etiam pluviali nigri coloris prosequatur officium a Rituali romano praescriptum. N. 4184 die 3. Septbr. 1746.

Confirmantur Decreta Congregationis Episc. et Regul. super quarta funerali et ingressu Parochorum cum stola et cruce in Ecclesias regularium.

tissimo Priolo in locum Sanctitatis Suae in ponentem suffecto: Ipsamet S. Congregatio stetit in decisio sub dicta die 21. Martii 1720.

Romae die 14. Novembris 1721.
F. Cardinalis Paulutius J. Archiepiscopus
Damascenus Secretarius.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii Parochi dictae civitatis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decreta hujusmodi, quo firmiter subsistant apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas et validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud s. Mariam majorem sub annulo piscatoris die 24. Augusti 1722.

(Bull. r. t. XIII. p. 57. Ed. Luxbg.)

28) Italo-Graecorum.

Vd.: *Ritus graecus* (constit.: *Etsi pastoralis* t. III. p. I. p. 247. n. XI.—XII.)

29) Jus sepulturae quomodo amittitur?

Jus sepulturae amittitur per simulationem, per rectoris occisionem, per

haeresim, per crimen laesae majestatis aut si vivus in ea sepeliatur et aliis modis, de quibus Lambertin. de Jurepatronat. lib. 3. q. 9. art. 7., Samuel. de sepulturis tract. 1. disput. 1. contrav. 8. conclus. 1. et aliis ibi allegatis, Barbosa n. 39. et alii.

Sepultura seu capella alicui concessa pro se et suis descendentes, conventus seu monasterium eis illam auferre nequit, cum talis sepultura vel capella reputentur tamque hospitium, cap.: *Ebron. 2. caus. 13. quaest. 2.* Extinctis vero domino et illius descendentes tunc potest Conventus libere sepulturam alteri concedere, nam mortuo Usuario usus ille redit ad proprietarium libere, *leg. pen. cod. de usufruct. et l. Si habitatio §. final. ff. de usu et habitat., Samuel de sepultur. tract. 1. contrav. 14. concl. 7. et 8. cum pluribus ibi allegatis.*

30) Lumina.

Nucerina Paganorum.

De delatione defunctorum sine luminibus s. Congregatio respondit non licere, ac posse ab Ordinario super hoc provideri.

Die 20. Aprilis 1624.

(Anal. J. P. 1863 p. 168.)

Vd.: *Visit. de funerib.*

31) Modus.

Ordinarium non debere permittere, quod in altum cadavera ponantur, sed subtus terram jacere debere. N. 1036 die 16. Febr. 1636.

Nulla modo est tolerandus abusus quod mortui curru clausi deferantur ad Ecclesiam.

S. C. Ep. et Reg. 17. Mart. 1650.

Ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacristae, Ostiarii et alii Cu-

stodes, etiam Regulares, provideant, ut capsae omnes et deposita seu alia cadaverum conditoria super terram existentia, omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V. Const. *Cum primum Apostolatus*. 1. Apr. 1566.

Ecclesiae non debent fodi neque excavari pro sepultura sed in sepulchris sive tumbis profundis infra terram Christianorum cadavera sepeliri.

S. C. Ep. 23. Julii 1603.

32) Monachorum.

Vd.: *Sepult.* (electio p. 46.; a Regul. fac.; Regular.); *Quarta fun.* (decr. de die 24. Novbr. 1634); *Breve PP. Urbani VIII. in Bullar. magno rom. tom. 5. p. 384* (ed. Luxemburg 1727.)

Ad dub.: An cum fratres aliqui extra monasterium moriuntur et a curatis sacramenta receperunt, possint ab eorum superioribus ad suas Ecclesias deferri, parochis inconsultis? S. C. C. resp.: Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri etiam Parochis inconsultis. Die 2. Julii 1620.

Episcopo et Parocho nullum jus competit sepulturae super regularem etiam extra claustra vel in domo parentum suorum defunctum. S. C. Ep. 22. Maii 1615.

Vd.: *Lumina.* (In exequiis.)

Clerus saecul. nihil potest praetendere propter exequias aut sepulturam monachorum aut fratrum morientium extra claustra. S. C. Ep. 24. Novbr. 1634; 24. Sept. 1636.

33) Mulierum.

Vd. *Sepultura* (electio.)

Uxor, licet sit sub potestate viri, potest libere sine ejus licentia eligere

sibi sepulturam, quia in hoc est sui juris: *Communis*, textu expresso in cap.: *De uxore 7.* de sepulturis, juncto ejus Summario sic expresse dicente: „Mulier nupta libere potest sibi eligere sepulturam“.

Si autem uxor decedat non electa sepultura et adhuc superstite suo Marito, debet sepeliri in sepultura Mariti, si hic aliquam jam sibi elegit et determinavit aut jam determinavit sepeliri in sepulchro majorum: *Abbas* in cit. cap.: *De uxore n. 6., Barbosa* ib. n. 3., *Pirhing n. 12., Reiffenstuel n. 14., Sylvester* verb.: *Sepultura qu. 8. dict. 5.* et alii arg. cap.: *Ebron. 2. caus. 13. quaest. 2.* et sic censuit S. C. R. in Senogallien. 15. Januar 1633 apud Panimol. dec. 5. adnotat. 3. n. 32. Et ratio est, quia Maritus destinatione et determinatione animi jam censetur esse sepultus in tali sibi electa et destinata sepultura. Si autem maritus nondum sibi sepulturam elegerit nec voluntatem suam circa ipsam adhuc declaraverit, uxor est sepelienda in sepulchro suorum majorum, si habeat, vel si non habeat, in Parochia, ubi decedit. arg. cap.: *Nos instituta 1., cap.: Ex parte 5., cap.: In nostra 10.* de sepultur., cap.: *Animarum 1., cap.: Is qui 3., et cap.: Licet 4.* eod. in 6.

Si vero uxor remaneat vidua et decedat, non sibi electa sepultura, quamvis habeat sepulchrum majorum, debet sepeliri in sepulchro mariti: Communis textu expresso in cap.: *Ebron. caus. 13. qu. 2.* ubi etiam redditur ratio his verbis: „Ut quos conjunxit unum conjugium, jungat unum sepulchrum, quia uno caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet“; et concordat cap.: *Unaquaeque 3.* ead. caus. et qu. ibi: „Unaquaeque mulier sequatur virum suum sive in vita sive in morte.“

Et si talis uxor vidua plures habuerit maritos, sepeliri debet in sepulchro ultimi, textu expresso in cap.: *Is qui* 3. de sepulturis in 6. §.: *Mulier*, ibi: „Mulier autem, quae plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet et honorem, tumulanda“.

Uxor vidua debet sepeliri in sepulchro mariti, etiamsi locum habitationis mutet et redierit ad domum paternam vel aliorum se retulerit, arg. cit. cap.: *Ebron*. 2. caus. 13. qu. 2. quia in tali vidua aliorum se conferente militat ratio ibi allegata, nempe: „Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum“; tale enim privilegium est datum personae et non loco et mulier vidua viduilem vitam servando censetur durare in conjugio viri: *Joannes Andreas* in cit. cap.: *Is qui* 3. de sepultur. in 6., *Silvester* verb.: *Sepultura* qu. 8. dict. 5., *Pirhing* lib. 3. decretal. tit. 28. n. 12., *Reiffenstuel* ibid. n. 12., *Donat*. tom. 3. tit. 9. qu. 24. n. 9. cum aliis ibi allegatis, *Sperell*. tom. 1. decis. 88. n. 15. cum pluribus aliis ibi citatis, *Panimol*. cit. decis. 3. adnotat. 3. n. 36. et alii.

Non esset tamen uxor sepelienda in sepulchro mariti, si necdum ad ejus domum fuerit traducta et ab ipso cognita, quia in tali casu non acquisivisset ejus domicilium nec fuisset facta una caro cum ipso, quae sunt motiva, ob quae ex cit. cap.: *Is qui* 3. de sepulturis in 6. et cit. cap.: *Ebron*. 2. caus. 13. qu. 2. uxor debet sepeliri in sepulchro mariti. Sic doctores citati et alii passim. Item non est sepelienda uxor in sepulchro mariti in casu, quo ob ipsius adulterium factum sit divortium et totalis separatio, quia tunc non est amplius de domo mariti, cum ejus

domicilium juridice amiserit. Sic citati doctores et alii.

Si uxor moriatur praegnans, foetus in utero existens una cum matre mortuus et non extractus, tamquam pars ventris sepelitur una cum matre in ecclesia, si autem extractus sit, ipse utpote non baptizatus, sepeliri debet extra locum sacrum, et mater in ecclesia: *Communis* cum supra citatis doctoribus.

Ad dub.: An autem, sicuti ex supradictis uxor debet sepeliri in sepulchro mariti, ita etiam maritus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in sepulchro uxoris? contendunt doctores; *Abbas* enim in cap.: *De uxore* 7. de sepulturis, n. 7. tenet affirmativam sententiam, quam sequitur et probabiliorum asserit *Reiffenstuel* loc. cit. 24. Et ratio istorum est, quia revera eadem prorsus militat juris ratio in marito, quae in uxore, cit. cap.: *Ebron* 2. caus. 13. qu. 2. adducta, nempe, „ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt et quos Deus conjunxit, homo non separet“. Ubi autem eadem est ratio, eadem quoque est juris dispositio, cap.: *Inter corporalia* 2. de translatione. *Episcop.* l. ideo 27. ff. de legibus, ibi: Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas et ad eas res pertinerent, quae quandoque similes erunt, quia ut expresse dicitur in l. *Non possunt* 12. ff. eod. ibi: „Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut senatus consultis comprehendendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni praeest, ad similia praecedere atque ita jus dicere debet“. *Silvester* loco cit. dist. 5., *Pirhing* n. 10., *Donat*. tract. 9. q. 24. n. 11., *Riccium* 4. part. prax. resolut. 293. n. 3. et

alii partem negativam defendunt, argum. cap.: *Unaquaeque* 3. caus. 13. qu. 2. ubi solum dicitur, quod „unaquaeque mulier sequatur virum suum sive in vita sive in morte“, non autem dicitur e contra de viro. Tum quia absurdum est, quod maritus sequatur dispositionem uxoris, arg., l. *Si ita* 45. ff. de legat. 2.

At hae rationes et jura per auctores secundae negativae sententiae adductae de facili et recte solvuntur a *Reiffenstuel* loco cit. n. 25., quia dicit ipse, licet maritus non teneatur sequi uxorem et in vita et in morte, sicut uxor tenetur sequi maritum, tenetur tamen maritus sequi uxorem post mortem, si non vigore citati canonis *Ebron* ob rationis et juris omnimodam identitatem, nempe: „Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet“; tum quia canon *Ebron* majorem vim praesefere videtur, utpote depromptus a Papa, nempe *Gelasio*, quam canon: *unaquaeque mulier* depromptus a non Papa, nempe a s. *Augustino*, ut ibi patet. Nec est absurdum, quod vir sequatur dispositionem uxoris, si aut jura ita exigant aut uxor rationabiliter disponat. Immo est summe laudabile et quandoque necessarium, quod maritus sequatur dispositionem mulieris, praesertim in piis operibus ad salutem aeternam tendentibus; dicit enim apostolus 1. ad *Corinth.* cap. 7. n. 14. quod sic faciendo „sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem“. Nec in contrarium stat cit. l. *Si ita* 45. ff. de legat. 2. ab adversariis adducta; ibi enim non id, quod ipsi dicunt, sed solum dicitur quod vocabulo femineo masculum non contineatur, ibi: „Exemplum enim pessimum est feminino vocabulo etiam masculos contineri“.

Sepultura non electa si uxor praemoriatur et maritus habeat proprium sepulchrum, in ipso tumulari debet, quamvis extra limites Parochiae, ubi mortua est. S. R. C. die 15. Januarii 1633 in Senogallien.

Nulla est inter doctores quaestio, quod, si uxor decedat, nulla sibi electa sepultura, debeat in viri sepulchro tumulari, ex text. in can. *Ebron*. 2. caus. 13. quaest. 2. An autem idem ferendum sit de viro judicium et an cum uxore et in electa ab ea sepultura tumulandus, una non est doctorum opinio. Oratores in exhibita mihi jurium allegatione, ad sociandum viri cadaver cadaveri uxoris se fundant in ratione textus in cit. can. *Ebron*., ubi habetur, ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt et quos Deus conjunxit, homo non separet. Eadem porro ratio, ajunt, in utroque militat casu, tam viri quoad uxorem quam uxoris quoad virum. Jam vero si eadem militat ratio, eadem quoque ex legali juris regula militare debet juris dispositio. In hac vero et utraque probabili opinionum varietate meam ego sententiam proferre non audeo; sed eam a sapientia EE. Patrum, quorum responsa tamquam leges coli semper consueverunt, ea qua par est veneratione expectabo. . . . Notandum contra, quod *Constantiae* praeobit vir jusque sepeliendi ejus cadaver quaevisit *Parochus*, cap. ex parte et cap. in nostra de sepult. Ideoque ex can. *Ebron*. cap. 13. quaest. de uxore dici posset, quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, sepulchrum nempe viri.

(Ex resol. S. C. C. die 15. Decembris 1792 *Vilnen*.)

34) Monialium.

Vd.: *Sepult.* (regul.; electio).